UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus Juris Canonici

Gregor <XIII., Papst>

M. DC. LXI. Coloniae Munatianae, 1661

De Summa Trinitate, Et Fide Catholica. Titulus Primus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-62953

Visual Library

DE SUMMA TRINITATE, ET FIDE CATHOLICA.

TITULUS PRIMUS.

CAP. VNICVM.

Fatetur concilium, unicum DEI Filium in eſſentia DEI æternaliter ſubſiſtentem verum corpus humanum aſſumpſiſſe de Virgine, & in eo paſſum, & jam mortuum lancea perforatum, approbans in hoc ordinem, quem tradidit Evangeliſta Ioan. h. d.

Clemens V. *in concilio Vienenſi.*

FIdei catholicæ fundamento, præter quod (teſte Apoſtolo) nemo poteſt aliud ponere, firmiter inhærentes: apertè cum ſancta matre eccleſia confitemur unigenitum Dei Filium, in iis omnibus, in quibus Deus Pater exiſtit unà cum patre æternaliter ſubſiſtentem: partes noſtræ naturæ ſimul unitas (ex quibus in ſe verus Deus exiſtens, fieret verus homo) humanum videlicet corpus paſſibile, & animam intellectivam, ſeu rationabilem, ipſum corpus verè per ſe & eſſentialiter informantem, aſſumpſiſſe ex tempore, in virginali thalamo, ad unitatem ſuæ hypoſtaſis & perſonæ. Et, quod in hac aſſumta natura ipſum Dei verbum pro omnium operanda ſalute, non ſolum affigi cruci, & in ea mori voluit, ſed etiam emiſſo *a* jam ſpiritu perforari lancea ſuſtinuit latus ſuum: ut exinde profluentibus undis aquæ & ſanguinis, formaretur unica & immaculata, ac virgo ſancta, mater eccleſia conjunx Chriſti. Sicut de latere primi *b* hominis ſoporati Eva ſibi in conjugium eſt formata: ut ſic certæ figuræ primi & veteris Adæ (qui ſecundùm Apoſtolum *c* eſt forma futuri) in noſtro noviſſimo Adam, id eſt, Chriſto veritas reſponderet. Hæc eſt, inquam, veritas illius prægrandis aquilæ vallata teſtimonio, quam Propheta vidit *d* Ezechiel animalibus cæteris Evangelicis tranſvolantem, beati Ioannis videlicet, Apoſtoli, & Evangeliſtæ, qui ſacramenti hujus rem geſtam narrans, & ordinem in Evangelio ſuo, dixit *e*: Ad Ieſum autem cùm veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, ſed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuò exivit ſanguis & aqua: & qui vidit, teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium ejus: & ille ſcit, qui vera dicit, ut & vos credatis. Nos igitur ad tam præclarum teſtimonium, ac ſanctorum patrum & doctorum communem ſententiam Apoſtolicæ conſiderationis (ad quam duntaxat hæc declarare pertinet) aciem convertentes, ſacro approbante concilio, declaramus prædictum Apoſtolum & Evangeliſtam Ioannem rectum in præmiſſis factæ rei ordinem tenuiſſe: narrando, quòd Chriſto jam mortuo, unus militum lancea latus ejus aperuit.

Reprobat & hæreticam judicat doctrinam, quæ habet, quòd ſubſtantia animæ rationalis, ſeu intellectiva, verè, & per ſe, humani corporis non ſit forma. Ioan. And.

Porrò *a* doctrinam omnem, ſeu poſitionem temerè aſſerentem, aut vertentem in dubium, quòd ſubſtantia animæ rationalis, ſeu intellectivæ, verè ac per ſe humani corporis non ſit forma, velut erroneam, ac veritati catholicæ inimicam fidei, prædicto ſacro approbante concilio reprobamus: Definientes, ut cunctis nota ſit fidei ſynceræ veritas, ac præcludatur univerſis erroribus aditus, ne ſubintrent, quòd quiſquis deinceps aſſerere, defendere, ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit, quòd anima rationalis, ſeu intellectiva non ſit forma corporis humani per ſe & eſſentialiter, tanquam hæreticus ſit cenſendus.

Aſſerens confitendum unum baptiſma, ſicut unum Deum & unam fidem, approbat opinionem, quæ habet per illud conferri etiam parvulis (quoad habitum) informantem gratiam & virtutes. Ioan. And.

Ad hoc *b* baptiſma unicum baptizatos omnes in Chriſto regenerans eſt (ſicut unus Deus ac fides unica) ab omnibus fideliter confitendum. Quod celebratum in aqua, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, credimus eſſe tam adultis, quàm parvulis, communiter perfectum remedium ad ſalutem. Verùm, quia quantum ad effectum baptiſmi in parvulis, reperiuntur doctores quidam theologi opiniones contrarias habuiſſe. Quibusdam ex ipſis dicentibus, per virtutem baptiſmi parvulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferri. Aliis è contra aſſerentibus, quòd & culpa *c* eiſdem in baptiſmo remittitur, & virtutes, ac informans gratia infunduntur, quoad habitum, & ſi non pro illo tempore quoad uſum. Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti (quæ per baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem ſecundam (quæ dicit, tam parvulis, quàm adultis conferri in baptiſmo informantem gratiam & virtutes) tanquam probabiliorem, & dictis ſanctorum, ac doctorum modernorum theologiæ magis conſonam & concordem, ſacro approbante concilio duximus elidendam.

a *Vide Guidonem Carmelitam in ſumma de hæreſibus tit. de hæreſibus. Petri Ioan. mod. & ejus ſequacium, cap. 3.* b *Geneſ. 2.* c *Rom. 5.* d *Ezech. c. 1.* e *Ioan. c. 19.*

a *Vide conc. Later. ſub Leone X. Seſſ. 8. in decreto incip. Apoſtolici regiminis.* b *al. at hoc.* c *al. ipſis.*